



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXVI. Adolphvs II. XLV. Arch. XXIX. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

LXV. WILHELMVS. XLIV. ARCH.
XXVIII. ELECTOR.

Wilhelmus ex illustri Baronum de Gennepe profapia oriundus, seditiosorum civium Coloniae audaciam detestandam quoque expertus est, cum Canonicorum duo levi de causa trucidati, justam bonorum omnium iram adversus civitatem provocarunt. Annis 13. Coloniensi Ecclesiae praefuit Wilhelmus, quibus proventuum curam adeo sedulam gessit, ut expuncto aere alieno magnam auri copiam corraferit. Dum avarum itaque dixerunt multi, liberalem experti sunt inter Divos Principes Apostoli, quorum duodecim effigies, seu statuas argenteas Coloniae templo principi donavit etiam hodie visendas. Vita longiori haud indignum mors inter mortales rara extinxit. Cum cercopitheco nimirum, quem aluit, dum forte ludere, aut tempus fallere placuit, accepto in pede lethali vulnere interit an. 1362.

LXVI. ADOLPHVS II. XLV. ARCH.
XXIX. ELECTOR.

Mensibus decem relicta est Sedes vidua, dissidentibus inter se partibus, aliis Joannem Comitem Virneburgicum, aliis vero, imò pluribus Adolphum Comitem Altenanum eligentibus, quorum posterior, cum oblatam sibi dignitatem desiderasset minimè, prior vero ambiret maximè, eam ob rem Urbanus V. Pontifex lata sententiâ repulso Joanne, Adolphum confirmavit. Verum hic stirpis suae in se unica fronde superstite expiraturae memor, & amplae haereditatis adeundae spe allectus, relicta Sede sacra thorum elegit, ducta in conjugem Margaretha Comite Montensi: anno itaque unico Elector fuit.

LXVI.